

VINDICIÆ

Scripto in Academicos

STANISLAI ZAKRZEWSKI,
Ord. Canonic. Regul.

AD Ver. Viri

AVNCIOS MVNICIPALES
oppositæ.

Wd. Viri Pana Ajakijewi
a

M. Io. PRÆCLAIDE, S. Th. Baccalaureo
& Professore.

CRACOVIÆ, Anno D. 1613. 18. Febr.



In Officina Matthiæ Andreouiensis.

8207

Wd.
Wd.
Wd.
Wd.
Wd.
Casini
ammi
Pant
Cui

8207

Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIEGO

Scripto in A. Classicis
F. Stanislaus ZAKRZEWSKI
Ord. Canonic. Regal.

1790
INVICIOS MUNICIPIALES
Oppidum

Practicae 2. Th. Practicae
2. Vol.

OR. NOVIT. S. DOM. 1790

2

Illustres & Magnifici Domini, Dñi ac Patroni Maximi.



Ffeci nouo & inusitato genere iniurię Academicę, eosdem iudices & cognitores causę nostrę quærimus, & deposcimus; apud quos scripto in nos prolato existimatione damnati, bonum nomen amisimus. Quid nobis bonus iste Religiosus reliqui fecit? si locum in regno ad docendum concessum, is nobis inuisus est, spoliatis dignitate, qua cum tueri oportuit; si fortunas; sæpe honestas egestatem consolatur: at bonę famę iacturam, nullę opes restitunt; si deniq; vitam, mors honesta optabilior est, quę interdum vitam infamem exornat; vita infamis ne morti quidem honestę locum relinquit. Quò mecunq; uertero, nihil nobis salui esse video, bonã existimatione erepta; quę nisi uestro iudicio & æquitate recuperetur. Proceres, ita ut nostra innocentia luce clarior appareat, nihil est quod quis nostrum in hominum celebritate uiuendum sibi ducat. Quare uestram singularem humanitatem Proceres obsecro & obsecro, patiamini me innocentiam Vniuersi-

tatis in lucem producere; non abutar fide vestra, quã mihi in hac defensione à vobis dari obnixè postulo: res vti est exponetur; Vestrum erit intellecto & cõperto negotio, quid erratũ sit à nobis, quid à parte aduersa iudicare, & vel caput cuiusq; nostrũ in fluctus inuidiẽ demergere, vel depressam veritatẽ, altius extollere.

Norum & manifestũ est, vel ex publico scripto contra Academiam edito nonnihil controuersie nobis de noua Schola cũ Patribus Societatis intercessisse. Quo in negotio si fidem & officium sequi mur, id nobis vitio dari nõ potest. Nã sempiternã memoria Princeps dignus D. Iagello, huius florentissimi Regni gloriosus propagator, hoc præcipuum nominis & gloriã suã monumentum, hanc ingeniorum officinam, vnicum hunc in Regno sæcularium literatorum nidulum, nostrã curã & custodiã reliquit, & ita iure communiuit, vt stare dum regnum stabit, quod ille cùm amplissimis Prouinciis, quę sub ipsius imperio erant, tũ clarissimis victoriis laudem Poloni generis propagantibus illustrauit. Pro quibus suis immortalibus meritis, non aliam à gratis posteris mercedem sibi dari optauit, quã ne huius vnus beneficij in fundata à se Academia positi memoriam intercidere paterentur. Hanc gratiam sibi referri tam auidè concupiuit, vt nulla de re maiori sollicitudine cau-

3

cautum esse voluerit, adhibitis etiam in violatores
suae istius voluntatis execrationibus, quam ne Acade-
mia haberet extinctorem, cuius ille in Polonia pri-
mus autor & fundator extitit. Quod igitur hac in
parte fundatori munificentissimo fidelitatem praesta-
mus, cupiditati eorum resistendo, quibus nihil pensi
est, si Academia funere efferatur, huius nostri facinre
prehensione non commouemur. Non agitur causa
nostra, sed Regni, cui Academia adscripta est, & qua
vna extincta nulla superest, quae pendeat ab arbitrio
& potestate Ordinum Regni. Nam reliquae Scholae
cum emanarunt ex institutis religionis Societatis, po-
tissimum spectant bonum religionis, nec sunt in po-
testate Praesulum, aut aliorum qui praesunt Reipub.
Videant itaque qui bono publico consulunt, ne quem-
admodum Societati pulchrum est habere suas Scholas,
ita Regno turpe sit nullam habere, quae sit in potestate
eius, & quae rationem studiorum, eam ad Ecclesiae;
tum Regni usum referat. Audio conclamare vniuer-
sos se velle Academiam stare, ac perpetuo florentem
esse: non nullos tamen cupere, ut per aemulationem
nouae Scholae ad pristinum nitorem redeat. Nolite
quaiso putare, quod Academia Patribus Societa-
tis inuideat, cuius laudi nasceti, si respiciamus spa-
tium praeteriti temporis usque ad aduentum illius in
hoc Regnum, semper fauisse deprehendetur. Aperuit

Scholas diuersis locis; num quæ indignatio aut con-
questio in Comitijs Academicorû audita fuit? num
priuilegium Iagellonianum illorum conatibus oppo-
situm? quod contra Bohemiæ Regem interponen-
tem suam autoritatem pro Vratisslouiense noua Scho-
la excitanda, apud Pontificem Maximum Iulium se-
cundum valuit, & robur suum tenuit. Num etiam sol-
licitati Senatores aut Equites ad prohibendos nouos
Magistros? nihil horum moliti sunt maiores nostri:
tametsi tùm longè firmiores erant, & in curia non de-
fuisent, quos odio religionis incensos, in Societatem
magis inflàmarent. Gaudebant potiùs tanto bono
Ecclesiæ, quæ pios vitifatores à Deo accepit, ad pu-
tandam & purgãdam vineam hæresibus inhorrescen-
tem, & ad nouellas vites cùm inferendas, tùm edu-
candas. Nec procedente tempore, quo iam cœptum
est veteris Scholæ gloriæ inuideri, dolor quantumuis
iustus, vllum verbum contumeliosum Academicis pu-
blicè extorsit, maluimus cantilenam nobis insufurra-
tam. Quod vos fuistis nos sumus, & alia diæteria æquo
ânimo ferre, quàm conuictum retorquendo ob vnius
dicacitatem, in multos innocentes impetum facere.
Hoc iam tandem tempore, quo Academiæ tollendæ
consilium suscipi intelligimus, si reclamemus, si openi
omnium Ordinum Regni inuocemus, aut timori no-
stro parcendum esse putent, quem periculum salutis

4
Academiae facit, aut nos sinant, nec Cathedram contra Cathedram statuant, ut tandem aliquando tunc definamus. Nobis nunquam persuaderi poterit hanc nouam Scholam non esse appositam ad excidium veteris; terrent nos exempla aliarum Academicarum, quae a suo splendore ad obscuritatem deciderunt, nouis huius Scholis institutis. Videas Viennae moenia Academiae non ita pridem florentissimae, ipsam Academiae iam non videbis. Videas in Vrbe aedem sapientiae, & in tanta multitudine hominum est quod mireris, paucos admodum esse, qui eruditissimorum virorum voci suas accommodent aures. Quid Patavij, an non apertis nouis Scholis, illa vetus redigi coepit ad solitudinem, quae nunc iisdem occlusis celebritate Studiorum floret. Si igitur ista aemulatione aliae Academiae non enituerunt, hanc nostram meliore fortuna vsuram speremus? quae iam vix spiritum ducit; primum obseffa tot Scholis ad se aditum intercludentibus, deinde iactata iniuria de transferenda alio prerogatiua promotionum & honorum Academicorum, postremo nunc omnibus ignominij exagitata, & omni honore spoliata & exuta. Sane insignis specimen datum est istius aemulationis, ut nihil cuiquam reliquum sit, quod soletur Academici alicuius innocentiam, aut honestatem. Sed forte merito pleamur, qui tam illustri Ordini bono Ecclesiae, & Christianorum

rum Regnorū nato, viris cūm sanctitatis tūm excellē-
tis doctrinę laude florentibus obtrectare, & hæreti-
corum linguam contra eos exacuare ausi sumus. Ad
cumulū infelicitatis nostrę accedit etiam istud,
quòd eiusmodi criminis arguamur; sed illud longè
grauius est, & certè inhumanum, prius nos conde-
mnatos, & mucrone styli confossos, quam ad dicen-
dam causam admissos esse. Quis iam modus superest
Academię, tanti criminis inuidiã leuandę, nisi vt in-
nocentia Academicorum oppressa per acris alicuius
inquisitionis facē explorata, (quòd etiam nō reforman-
damus) è tenebris suspicionum in lucem veritatis e-
mergat. Interim si recipit se ad cognitionem eorum
hominum, quibus Politia Academica nota & perspe-
cta est, sint illi testes, quòd Vniuersitas, non Rector
sensum, nutum, voluntatem sequitur, sed Rector
arbitrio, consilio, consensu Vniuersitatis, res mode-
ratur. Noluerunt Maiores nostri tantum vnius ho-
minis prudentię confidere, vt ei soli salutem pu-
blicam concederent, cui ne hoc quidem permissum
est, vt in priuatis iniuriis, illius decreto causę termi-
narentur; verū superiores iudices ac consilarii V-
niuersitatis adiuncti sunt, quibus facultas est, senten-
tiam Rectoris vel approbare, vel irritam pronunciare
si quis illos appellarit. Quid proximè superiori tem-
pore Rector egerit, ego scire non possum, ipse viderit,

si quid

5
si quid scripserit, quid respondere possit : illud scio
Vniuersitatem esse extra culpam calumnię cuius insi-
mulatur. At contra literas, contra manum, signum,
cuius est inuerecūdię hęc asserere? Non inficior esse
aliquas literas, verū hoc contendo hisce literis non
posse cōuinci Academiam criminis. Velimus tantum-
modò rem rationis iudicio non odio pendere, &
si quid sub illud tempus, quo Comitata particularia
celebrata sunt in Academia agi potuerit decernere,
profectò facillima erit ratio innocētię in lucem pro-
ferendę. Dispersi per villas & oppida vitandę pestis
causā, à media æstate per totum autumnum vsq; ad
initium brumę, tractare & agere causam Academia
non potuimus, cætum nullo loco celebrauimus : quo-
modo igitur verissimile est? Vniuersitatem quę est
Professorum collectio, constans Facultatibus diuersis,
in ista dispersione, literas vidisse, probasse, dedisse?
Si homines iniquiores nobis esse iudices velint, ipsū
tempus pro nobis loquitur, ipsa calamitas, quę nos
dispulit, culpa liberat. Valeat igitur illa vox sæpius
iactata Rector & Vniuersitas, quę ad inuidiam ali-
quid, ad veritatem probandam, nihil propemodum
facit. Vniuersitas non defendet erratum Rectoris
minus tolerabile, cuius sensus debent congruere cū
sensu Vniuersitatis, nec fas est in rebus Vniuersitatis,
velle eum quidquam pro animi sui sensu pronuncia-
re, quod

re, quod consensu Vniuersitatis firmatū non sit. Ha-
betis æquissimi iudices defensionis nostræ rationem,
nō plausibilem illam, sed tamen ad veritatem accōmo-
datam. Non sumus tam deplorato ingenio, vt cū
antē existimationi Societatis, ad gloriam nominis
florescentis, fauissemus: eidem nunc in luce regni &
in oculis summorum virorum, magnæ & illustri, non
esse parcendum censeremus. Liceat nobis esse cala-
mitosis, non maledicis; quod est hominum fortuna
insolescentium. Si in vno aliquo è nostris ratio vehe-
mentiori perturbatione abrepta excurrerit, ad labem
integris inferendam: at in multis, & magnam partem
Sacerdotibus, tantam malevolentiam reperiri credi-
bile non est. Postquā vero patet ex Academicis aut
nullum, aut vnum in culpa esse, æquūne quis du-
cet, nos omnes lacerari, proteri, conculcari? Deplo-
rarem hoc loco infelicem statum nostrum, qui à tan-
ta existimatione, vt etiam summis viris venerationi
essemus, ad tantum contemptum deuenerimus, vt
homini famæ obscurioris, per nostram contumeliam
& infamiam inclarescendi via pateat, qui stylo in Aca-
demiā verso, oblitus professionis suæ, homines li-
beros loco pecudum maledictis insequi palmariam
esse putat: nisi cū multa hunc dolorem mitigent,
tū in primis consoletur nos spectata, & satis nobis
perspecta, cū alijs multis causis, tū in hac præci-
puè

6
puè bonitas & æquitas Serenissimi Regis DD. N.
Clement: qui quamuis imperio vti possit, tamen tar-
dior fit ad annuendum optatis Societatis, prouidens,
ne noua Schola obstruat luminibus Scholæ D. Iagel-
lonis autoris generis sui præstantissimi. Multa habet
S. R. M. incitamenta Scholæ nouæ excitandæ, cum
ad maiorem splendorem & celebritatem templi ma-
gnificentissimo sumptu, & vt vno dicam verbo regiè
exadificati, tùm ad benignitatis suæ fontes inopia
iuuentutis studiosæ aperiendos. Si quando tamen
ipsius pietati, fidei, æquitati, priuilegium D. Iagelo-
nis fundatoris nostri beneficentissimi à nobis com-
mendari contingit; multa secum ipsa S. R. M. repu-
tat, quæ suspensum tenent animum. Nam præter im-
mortalem memoriam. D. Iagellonis, quam conser-
uatam esse cupit, illud maximè S. R. M. ante oculos
obuersatur, relinquendum non esse successoribus e-
xemplum vsurpandæ potestatis in antecessores Re-
ges, à quibus tantùm commissa est posteris cura re-
rum à se gestarum gloriæ ab iniuria & temporum &
hominum vindicandæ. Sustentat deinde animos me-
tu ac sollicitudine debilitatos fiducia collocata in sa-
pientia & autoritate Illustrissim. ac Reuerendissimo-
rum Episcoporum, in quorum tutela Academia sem-
per cõquieuit; quam prædecesores ipsorum benefi-
cij Ecclesiasticis, pensionibus, bibliothecis iuuarunt,

auxerunt, ornarunt, quam praesentes & huius aetatis
amplissimi Praesules consilio, gratia, praesidio tutati
sunt. In his nunc spes est, quod non patientur Acade-
miam tam arcte cum Ecclesia coniunctam suis sedi-
bus moueri, quorum ingenia nisi Schola excoluisset,
gubernacula Ecclesiae non tenuissent. Exsuscitabit
in eis hanc curam prouidentia futuri, ne Academia
vt nunc dicitur mercenaria ad nihilum redacta; po-
stea casu aut iniuria aliqua vox etiam gratuita conti-
cescat, & oclusis Scholis subito literulae exulent. Po-
stremo Senatus patrocinium, & Equestris Ordinis fa-
uor, sapius nobis prosper ac laetus, vetant saluti de-
spicere. Aegre ferent hi custodes legum, iuris, ac
libertatis cuiusque, huic Scholae cuius literis antea
totum Regnum patuit, nunc ne vnius Ciuitatis am-
bitum patere, & fontem illum obstrui, ex quo par-
tim ipsi qui viuunt, partim maiores illorum suos
hortulos irrigarunt: quibus pudori non fuit felicio-
ribus illis saeculis per honorum Academicorum
prensationem, domesticae ornamenta in Academiam
inferre, & cum suorum Maiorum laude, literarum
splendorem coniungere. His ad praesens reme-
dijs dolore compresso, nihil mouemur maledictis
ex triuio arreptis. Si conuicatori libet gratis male-
dicere, nobis vt per eum non licet gratis docere, ita
multo minus gratis male audire: quanquam dubito
an impune ferret, & iam suae stultitiae poenas dat.

Non

7
Non intelligit homo imprudens, dum tantam sibi licentiam ad maledicendum usurpat, se nostræ causæ seruire, eorum quos defendit, nocere. Nullo modo nos fidem Ordinibus Regni facere potuissemus, quã malè affecta sit Societas erga Academiam, quàm de Academicis improbè sentiat, nisi iste emissarius in Academiã modò palàm fecisset. Ad cuius maledictis respondendum inuitus accedo, maluissimèq; potius, ut nostra taciturnitas infamaret illius linguæ proacacitatem, quàm purgatio criminum obiectorum, cõuincat mendacij religiosum virum. Sed quia veritas aliter defendi non potest, & maior ratio existimationis cætus alicuius iure sociati, quàm vnius priuati habenda est, dabit mihi hanc veniam, si vbi crimen, obiectum vel non probet, vel leuibus coniecturis adstruat, eum non tam mendacij, quam erroris arguã.

Ac in primis maximo eum teneri errore moneo, cum de Academicis suspicionẽ hominibus imperitis iniiciat, quòd hæresi fauissent. Deum immortalem & hominum fidem! quis vnquam Academiæ hoc crimen obiecit? Habemus tot manu scripta commentaria à Professoribus ætatis superioris confecta, qui interpretationi sacræ scripturæ controuersias fidei annectebant, & iidem ex Academica Cathedra, in Ecclesiarum Cathedras quas tenebant, tela ad quasuis hæreses iugulandas afferebant. Viuit adhuc in memoria hominum præstans pietas, & indefessum studi-

um Ioannis Leopolitani (vt vnum pro multis com-
memorem) ad ædem D. Virginis Ecclesiastæ eloquē-
tissimi, qui cum in vita magna vi orationis hæreticis
restitisset, postquam tandē intellexit sibi de vita esse
migrandum, sollicitus de salute hominum, quos iam
doctrina instruere non potuit, exemplo suo moriens
ad obædientiam Ecclesiæ adducere conatus est. Con-
uocato populo die Sacro per omnia templa voce
Cõcionatorum in maius Collegium ad horam præ-
stitutam, iubet se efferri in aream Collegij, & Cygnea
voce adhortatus populum ad religionē Romanę Ec-
clesiæ purè & sanctè retinendam, inspectantibus o-
mnibus, viaticum sibi speciè sub vna dari postula-
uit, vt auditores suos de veritate Corporis Christi, &
de vñu Sacramēti sub vna speciè, & vocis confesio-
ne & facto suo confirmaret. Extant etiam in biblio-
thecis, & inter manus versantur libri nostrorum, qui-
bus acerrimè pro fide Catholica pugnabant, Nouo-
cãpiani, Gorscii, Socolouij. His viuis licuissetnè quod
obijcitur, vni Pincoiuo esse hæretico: Errare Pin-
couius vt homo potuit, sed si in errore perstitisset nec
eum abiurasset, quantumuis Academia id criminis
dissimulasset, nullo modo Ecclesia Cathedralis pati
potuisset, vt in ea hæreticus esset.

Crimini etiam illud datur in quodam scripto in
plebem sparso, sub nomine satisfactionis nobilitati

Rauen

Rauen: municipii, data pro Iesuitis Crac: quòd Aca-
 demia hæreticos in Regnum admisisset contra leges
 patrias. Obstupui dum hæc legerem, Academicos tã
 ferò reos agi, non tantum religionis violatæ, sed etiam
 legis Regni. Quinam rogo hæretici admissi sunt &
 de Stancaro fit mentio. Verùm pœna Stancari, culpa
 liberat Academicos, cui hæresim occultanti concess-
 sum ius Cathedræ imperio magni & cum potestate
 viri, breui deprehenso per nostros in hæresi ademptũ
 est, eiq; igni & aqua à nostris interdictũ. Si quis autẽ
 malit alieno potius iudicio, quam nostra excusatione
 impietatis nos absolui, non recusamus conditionẽ.
 Ad sunt nobis elogia sacræ Sedis; non pati Acade-
 miam Crac. hæreticos; adest laudator eximius, vir san-
 ctitate & eruditione Christiano orbi notissimus Sta-
 nislaus Hosius Cardinalis, qui in Epistola (quæ in vo-
 lumine Epistolarum ipsius à Rñdo Stanislao Rescio
 Academiæ donato habetur) ad Sereniss. Regem Ste-
 phanum Academiã ornat his verbis: quòd pieta-
 tis veræque Christianæ doctrinæ præ cæter-
 is studiosa esset, eamque laudem consecuta
 fit, quòd ex quo tempore fundata est, nun-
 quam vlla hæresi fuerit cõtaminata, nec vn-
 quã aliquẽ hæreticũ Professorẽ tolerandum
 putauit. Proinde desinant minus æqui obtrectato-

res dicere, parùm abfuisse, quin per nostrorum inerti-
am cum inscitia coniunctam religio Regno pulsa
exularet. Inuoluerat hæc calamitas non nostrum tan-
tum Regnum, idcirco non est æquum culpam Acade-
micos eius rei sustinere, cuius aliæ Academiae ne ap-
pellentur quidem. Opponenda erat doctrina si quæ
fuit pesti serpenti, ne longius progredi potuisset.
An non opposita fuit? & quadraginta ampliùs annos
antè aduentum Patrum in hanc Ciuitatem, cursum er-
roris remorata est. Optabiliùs sanè fuisset recens na-
tam hæresim extinguere, sed quid non egerunt cùm
docti & religiosi viri, tum magno animo præditi Epi-
scopi, quin etiam ipsi Max. Pont. quod non studium
contulerunt ad hoc incendium opprimendum: nihi-
lominus tamen vigebat, nec alicubi sanguine etiam
fuso restingui poterat: donec autoritate Concilij mo-
ribus restitutis, offensionibus amotis, cultu diuino re-
staurato, multùm adiumenti ad eam rem conferente
pietate, constantia, prudentia Principum, & studio ac
labore cùm aliorum Ecclesiasticorum virorum, tum
ipsius Societatis flamma cæpit subsidere, & tandem
Deo propitio suffocata est.

Iam forte video satis expurgasse suspicionem vio-
latæ aut saltim neglectæ religionis: de cætero roga-
mus, ne in inuidiam nos adducât nomine impietatis.
Feremus facilius vobis inscitiam, lordes vitæ, & ne-
scio

scio quæ non, ex probrari, quàm à religione Catho-
lica defectionem, sine qua viuere nolumus, & in qua
mori cupimus.

Nec verò longè ab eodem crimine abest obie-
cta disunctio pietatis à literis. Quis ferat eas literas,
quæ ad pietatem non referuntur? sine qua sapien-
tia non solum infructuosa est, sed vitæ etiam huma-
næ infesta. Quorsum in Contubernijs sacella extru-
cta sunt? quid sibi volût sacra, quibus festis diebus stu-
diosi interesse coguntur? Exhortationes ad pietatem
si domi desunt, at in Ecclesijs lectissimorum conci-
onatorum præcepta piè viuendi non desunt, ad quo-
rum disertas & varia eruditione refertas conciones,
tanta auiditate audiendi concursus fit, vt propter ex-
temporaneam exhortationem, priuari se fructu elabo-
ratæ concionis nemo sit laturus. Quod in vno loco
cum laude & vtilitate fit, hoc in alio maiori bono fo-
re, impedimento cogitandum est; nec si in Scholis tri-
uialibus pueros & adolescentulos informari in stu-
dio pietatis laudabile est, in Academia in qua iam a-
dulti sunt, qui tùm gaudent officio, si in eo explendo
liberè rationis ductum sequi liceat, pietatem sub fla-
gello esse conuenit. Video necesse esse cõmemorare,
quo minùs aliena infectatio nos feriat, nihil etiã hæc in
parte desiderari posse, quod maiores nostri, qui non
ita fuerant amantes sui, vt soli omnia agere vellent,
vt nullas partes officij cæteris relinquerent, studium
pietatis

pietatis colendæ cum religiosis Patribus è florentissi-
ma familia S. Dominici communicatum esse volue-
rint, & se admitti ad communionem meritorum, ora-
tionum, indulgentiarû huius S. congregationis postu-
lârint, idq; in capitulo generali Anno supra Millefi-
mum Quadringêtesimo Octuagesimo Primo, à Magi-
stro ordinis Saluio Caseta, viro sempiterna memoria
digno impetrarint. Per quam societatem cum eis i-
nitam omnia membra Academiae in vnum corpus re-
ducta sut, vt animarétur, alerétur, & vitæ spiritualis ca-
perent incrementa. Hinc fieri videmus nulla in Eccle-
sia vsq; ad hoc tempus, siue pro concionibus, siue pro
alijs pietatis exercitijs, Academicam iuuentutem fre-
quentiorem conspici, præterquam in æde SS. Trini-
tatis apud Patres Dominicanos. Nec hætenus ea
cura iuuentutis nostræ in pietate exercendæ intermis-
sa est, imò quo maior animis iuuenum ardor ad stu-
dium pietatis iniiceretur, ex magna Sodalitate Rosa-
rii literatorum cohors, in secretum Rosetum deducta
est, ad cultum diuinum æmulatione sancta inter-
similes, magis propagandum. Et tamen nescio vn-
de pietatis nostræ facta sugillatio.

Forte quis minus mirabitur frigere pietatem, si fla-
grent apud nos vitia. De leuioribus nihil dico, optan-
dum sane est, vt sine vicijs viuatur, ptoximû est, vt mi-
nimis vrgeamur. At tam robuste, improbitatis, vt non-

nulli

10
nulli expilati fisci pauperum studiosorum accusentur; ego nolo esse depulsor; non inopiâ defensionis (nã ex-
tant publicę tabulę rationum, & notum est vel nostri
agri fructuum redemptoribus prouentum totius trie-
enii, partim iniuria hominum, partim aquarum, esse
dissipatum & auersum) sed animi dolore ex effrena-
ta audacia nato, quod non pueret in corona totius
nobilitatis fraudem tantam obiicere; quæ ne tenui
suspensione probetur. Credo ego non indormituros
famæ suæ illos, qui tam insigni iniuriâ appetiti sunt.
Meus autem animus tanta contumelia fractus, etiamsi
meam personam crimen obiectum non attingat; lon-
giorem defensionem refugit. Si enim licebit pa-
lam & apertè mēdacio in accusando uti, quid opus est
obiecta diluere, cum tota defensio si dicatur falsa esse
subuerti possit.

Quare præternavigans scopulum infamem, pro-
ficiscitur oratio mea ad cōtemptū nominis nostri pro-
ligandum. Obscuritatem generis nobis exprobrat,
quam nemo adhuc ex tanta multitudine nobilitatis,
Academicis probro dedit. Valdè miror hominem
literis deditum, in quo sita sit nobilitas ignorare. Si
ad libellam rationis & incorruptum iudicium sapi-
entum veritas exigenda est. Nobilis est, in quo vir-
tutis alicuius excellentia conspicua est; sin autem po-
pularis opinionis arbitrio stare placet. Nobilis est qui

ius libertatis consecutus est. Vnde apud sapientes na-
ta est illa distinctio, alium esse Nobilem vbique gen-
tium, alium domi suæ & in patria tantum. Credo e-
go neutro in ordine Nobilitatis ponet obtrectator
Academiam, cuius eruditioni & virtuti nequiter de-
traxit. Quem tamen si præiudicatis premere conten-
dero, magno in errore versari constabit. Non ita enim
contemptam & abiectam sacra Sedes voluit esse Aca-
demiã Crac: quam eò honoris prouexit, vt nihilò
inferiorem dignitate florentissimis & clarissimis Aca-
demijs dato Priuilegio esse iusserit. Non ita nuper
S. Pont: iucundę recordationis Paulus V. ignobilem
esse censuit, qui se viuo nihil eandem detrimenti ac-
cepturam respondit. Non ita vni è consilio Patrum
Purpuratorum, atq; eiusdem societatis olim alumno
sanctitate, & doctrine copia illustri Roberto Bellar-
mino honor noster vilis fuit, qui à commendationi
causę nobis aduersę, apud SS. D. abduci se passus est
& iuri Academico se nolle contraherere humanite
rescripsit. At tamen plebeio genere nati sumus; quic-
rum? an putat obtrectator Academię, mei aui, au-
ataui esse Academiã? quid Patri plebeio cum Aca-
demiã? si filius virtute & doctrina eum locum con-
scenderit, quem Serenissimi Reges iure libertatis do-
nârunt, muniêrunt, decorârunt. Rogarem ego ab istis
nobili Religioso, exhiberet nobis Priuilegium iuri
nobili

nobilitatis, quod autor generis sui consecutus est, quo doceremur, à quo ius nobilitatis donari solet, & quid eo continetur. Nos Priuilegium D. Jagellonis ei ostendemus, in quo cuiusuis conditionis hominibus, & vndecunq; ad Academiam confluentibus causâ literarum, ea libertas concessa est, vt à quauis seculari iurisdictione exemptis esse liceat, nec alium iudicem, nisi in leuioribus delictis Rectorem, in crimine ipsum Sereniss: Regem, aut si adscripti fuerint Ordini Sacro Reuerendis: Episcopum habeant. Quod Priuilegium tantum apud nobilitatem Regni valet, vt si quando in ditione alicuius Nobilis natus, ius Academiae consequeretur, exire ei ius esset è potestate ipsius. Habet enim apud Nobilitatem locum, quod maximæ Urbis magnus Consul pronunciauit: Honos alit artes omnesq; incendimur ad studia, gloriâ, iacentq; ea semper quæ apud quosq; improbantur. Cum itaq; Nobilitas Polona sentiat, sine literis ne Scythicam colluiem esse posse, fauet literatis, nec illorum libertati inuidet, sed eam incolumem & inuolatam esse cupit. Iniquius multò est, quod fieri tamen in Polonia solet, vt fortuna mutet genus, aut salutem illustret, quàm si virtus aut sapientia, quæ duæ res in honore apud omnes gentes habentur, attollant humo humilem hominem.

Laboret quantum velit obrectator, nobis conflare

Handwritten marginal notes:
 M. J. Jagellonis
 Priuilegium
 D. Jagellonis
 ad Academiam
 confluentibus
 causâ literarum
 ea libertas
 concessa est
 vt à quauis
 seculari iurisdictione
 exemptis esse
 liceat
 nec alium
 iudicem
 nisi in leuioribus
 delictis
 Rectorem
 in crimine
 ipsum
 Sereniss: Regem
 aut si adscripti
 fuerint
 Ordini Sacro
 Reuerendis
 Episcopum
 habeant
 Quod
 Priuilegium
 tantum
 apud nobilitatem
 Regni
 valet
 vt si quando
 in ditione
 alicuius
 Nobilis
 natus
 ius
 Academiae
 consequeretur
 exire
 ei
 ius
 esset
 è
 potestate
 ipsius
 Habet
 enim
 apud
 Nobilitatem
 locum
 quod
 maximæ
 Urbis
 magnus
 Consul
 pronunciauit
 Honos
 alit
 artes
 omnesq;
 incendimur
 ad
 studia
 gloriâ
 iacentq;
 ea
 semper
 quæ
 apud
 quosq;
 improbantur
 Cum
 itaq;
 Nobilitas
 Polona
 sentiat
 sine
 literis
 ne
 Scythicam
 colluiem
 esse
 posse
 fauet
 literatis
 nec
 illorum
 libertati
 inuidet
 sed
 eam
 incolumem
 &
 inuolatam
 esse
 cupit
 Iniquius
 multò
 est
 quod
 fieri
 tamen
 in
 Polonia
 solet
 vt
 fortuna
 mutet
 genus
 aut
 salutem
 illustret
 quàm
 si
 virtus
 aut
 sapientia
 quæ
 duæ
 res
 in
 honore
 apud
 omnes
 gentes
 habentur
 attollant
 humo
 humilem
 hominem

flare inuidiam apud Nobilitatem non poterit, sumus
ita huic Ordini florētissimo nostris laboribus, studijs,
obsequijs, deuincti, vt si ad rauim clamet, plebeios
inimicos esse Nobilitati, & de nobis id credi vehe-
mentissimè postulet, impetraturus non sit, vt ei cre-
datur. Perspecta est Nobilitati Polonæ animi mo-
deratio Academicorum, & prompta semper voluntas
ad eis inseruiendum in institutione liberorum. Itaq;
nolunt hanc opinionem combibant illorum filij, nos
esse suos seruos, quibus ius patrium vt præceptoribus
committitur, atq; imperium liberale, & quale
debet ingenuos, in eos exerceri, permittitur.

Cæteris in rebus non sunt graues Academici Po-
lonæ Nobilitati, opes non habemus ad inuidiam cõ-
paratas, nec ad luxum, vt in scripto Rauen: asseritur:
si quæ sunt villulæ, eas omnes antequàm à Serenissi-
mis Regibus, & Viris Illustribus Academiae donatæ
essent, iuris Ecclesiastici fuisse, & cum Sacerdotiis ad
nos peruenisse, quisquis volet cognoscet. Veteres
illi Academici ab agris abhorrebant, & grandi pecu-
nia exiguos census emere malebant, nunc primùm
vbi paulo difficiliorem rationem exigendorum cen-
suum experti sumus, pecunia congesta ex munificen-
tia & liberalitate, in primis immortalis & nobis sem-
per lætæ memoriæ Serenissimæ Reginae Annæ Jagel-
lonianæ; deinde incomparabilis Patroni, quo non

ita pridem orbatum sumus Petri Tylicki, Episcopi Crae.
Postremo cum aliorum, tum nominatim optimi Se-
nis & Magnis in Academia Benefactoribus aequali
Bartholo: Nowodworski Sac: Militiae S. Io: Hiero-
sol: militis, ad coemendas Villulas collata est, reseruato
iure redeundi ad sua, quando facultas erit, possesso-
ribus. Quos fructus non partimur inter nos, sed in v-
sus a benefactoribus destinatos conferuntur. Vniuer-
sitati inde emolumenti nihil, cura plurimum accedete.

Præterissem reliquas reprehensiones huius bo-
ni religiosi quibus odium Nobilitatis in nos concit-
tare contendit: nisi vna querela de insolentia studi-
osorum, non nihil aduersari nobis videatur. Agno-
sco hanc labem esse ætatis nostræ, ut minus obtempe-
ret bonis consilijs iuuentus, verum hæc infelicitas
communis est Præceptoribus cum Parentibus, qui
meliores optant habere filios, eos autem quos habent
tolerant. Sæpe afferuntur mores ad nos illaudati: &
quos alibi, aut metus, aut ætatis imbecillioris, vere-
cundia texit ac velauit: eos liberius viuendi facul-
tas facta, in apertum profert. Sæpe ut in mari reiectæ
sordes pollunt scopulos, quibus adherescunt, ita ex-
terna eluuiæ contaminat studiosorum sodalitates.
Sæpe etiam peccatur a parentibus, qui filijs tradunt
pecuniam, quam oportuit fidei Præceptoris commit-
tere, ne ignis stipula, ne materia vitij, ne puero fer-
rum

rum suppeditetur. Sunt & alia multa incōmoda bonæ institutioni aduersa, sed maiora & grauiora occurrerēt, ex ista quam bonus iste religiosus expetit Scholarum diuersarum conflictione. Si quando in vtero gemelli conflictantur, excruciatam mater gemit; quid inter dissentientes studijs & animis cætus, ciuitati sperandum esset? plena essent omnia turbarum molestiarum, querelarum, pacis & ocij nihil haberemus.

Venio ad aliam ignominiam de inscitia Academicorum depellendam. Grauis hæc est & acerba in Academico reprehensio, si in eo eruditio desideretur, quâ stationem suam tueri possit. Hæc nostris qui paulò antè vixerunt non defuit, siue prouocemus ad nonnullorum monumenta in bibliotheca seruata, siue memoriam hominum appellemus. Quis enim (vt ex recentioribus commemorem nonnullos) eruditior fuit Grebseio? quisiurium linguarum cognitione clarior Marinio? quis Hebraicæ linguæ peritior Felstinio? quis in Græca lingua scientior Lwowkone, ne attingā cæteros in diuersis Facultatibus laude ingenij, & doctrinæ florentibus. De nobis qui nunc sumus, si minùs honorificè obtrectator sentiat, non miror, qui etiam cuperet, vt literas obliuiscamur, ac studium docendi deponamus: Literæ etiam nunc in Academia latent potius, quàm absunt; quæ luce fauoris collustratæ, mox enituissent. Non ita pridem Illust.

Dux

Dux Georgius Radziwil S. R. E. Cardinalis, Episc.
 Crac: inuenit in Academia ea dignitate viros, quibus
 adiutoribus ita reformauit Dioccesim suam, cū laude
 & vtilitate, vt posteris exemplum ad imitandum pro-
 poneret. Consequentibus etiam temporibus non de-
 fuerunt ex Academia Reueren: Præsulibus qui mu-
 nere suo dextrè & laudabiliter funderentur. Requirit
 præterea à nobis obtreçator scriptores librorum, sed
 quid requirat non intelligit, quotusquisq; est in Polo-
 nia, qui legat hos libros, qui aliunde importantur. Alia-
 rum gentium ea consuetudo est, vt honestissimam a-
 nimi oblectationem, ex literarum tractatione capiant:
 à nostris ad vsum tantum, & necessitatem, cū Ec-
 clesiæ, tū Regni literæ discuntur. Si quis autem a-
 more literarum flagret, is ex fontibus potius hauriat,
 quam riuiolos consectetur. Excussimus è manibus
 Cleri monumenta Sanctorum Patrum, oblati ex his
 ipsis quibusdam excerptis, aut tenuioribus nostris co-
 gitatis, quæ est desidiæ magna latebra. Quod si ob-
 treçator, adeo est cupidus legendorum nostrorum,
 veniat ad nos, explebimus sitim eius, si fastidiat no-
 stras lucubrations, commentarijs in Sacram Scriptu-
 ram & Magistrum Sententiarum, à nostris Maioribus
 relictis; sin renuerit, nobis ignoscat, qui blattas & ti-
 neas, magna impensa pascere aut chartam pretiosam

D merci-

mercibus inuoluendis pro institutoribus comparare
nolimus.

Ad mores quod attinet. mirum est virum religio-
sum, qui vultu, gestu, incessu grauitatem præse ferre
debet, in oratione lasciuiam non vitare. Nam illa cõ-
memoratio lustrorum, Ganæarum, Gynæciorum, eti-
amsi vera esset, tamen religiosum hominem non de-
cet; cuius non modò vitam continètem esse oportet,
verùm etiam oculos, aures, linguam. Sitne ita vt cõ-
memoratur nescio, mihi nemo etiã de quo quã secretò
dixit, quod diulgatur; sed vt ita sit, vtique vnius aut
paucorũ infamia, non debet redundare ad infamiã plu-
rium. Sanè optarem huic religioso viro, vitam ho-
minum, nostræ societatis esse notiozem, paulò æqui-
orem censorem nostrorum factorum haberemus. Vi-
uimus legibus subiecti, ne peccare cuiquam impunè
liceat, ascendimus gradatim, ab humilioribus locis,
ad altiora, vbi lapsus quisq; vitat, ne aspersa aliqua
vitæ macula, cursum retardet, aut præpediat: pro sti-
pendio exiguus census assignatur, qui non satis est ad
necessitatem, ad exacuendam in iunioribus indu-
striam, vt otio semoto laborem intendant, in erudi-
enda iuuentute, vnde tenuem fortunam sustentent,
postea sacris initiati, cõdoptantur in Collegium Sacer-
dotum ad Sanctæ Annæ, vel D. Floriani Ecclesias, vbi
colla-

collatis in medium fructibus Ecclesie, qui officium Academicum faciunt, & sine reprehensione viuunt, participes fiunt commodorum; sin secus, spes sua eos frustratur. tantam nobis esse curam cum honeste viuendi, tum officij explendi, si religiosus iste sciuisset, neutiquam aut in mores, aut in negligentiam nostram insolentius insultasset.

Aduerto illud accidisse huic bono religioso, quod fabulam de quopiam narratur, qui lacepsit, cum in aduersarium iecisset telum, frustrato ictu Nouercam percussit, atque sibi in malo facto aplaudens exclamauit: Ne sic quidem male; ita ille preceps ira cum fertur in obtrectatorem Societatis, de quo incertus sum an sit noster, Vniuersam Academiam, quam pro Nouerca habet, maledictis confixit, & in hoc scelere exultat; parum de eo sollicitus, quod in vetustam Coloniam Serenis: & optimè de hoc Regno meritorum Principum inuaserit, ac nutricem liberorum & Nobilium hominum violauerit. Si eum non deterruit dira imprecatio D. Iagellonis Regis: vt quicumq; Academiae ius, & libertates violauerit, iram vindicem districti iudicis, & miserabilis infelicitatis horridum euentum incurrat. saltem mouere potuit fremitus, & libera in-

dignatio totius Nobilitatis Polonæ, quæ iniquo fert
animo, veteres Academicos plurimis, & diuturnis
meritis commendatos, coràm & antè oculos suos,
indignè tractari, damnari, & tantùm non proscribi,
quos sub patrocinio suo tutos esse oportuit. Iacta-
mur non aliter atq; profligati ac perditì homines; de
iure nostro disceptatur in foro, in triuiis, in tonstris,
ab his, quibus nec vocis, nec ferendæ sententiæ
ius est. Quàtò æquius de præfenti causa iudiciũ tulit
magnus in Eccles: & regno Senator D. Stanislaus Ho-
sius, qui intellecta Serenis: Steph: Regis volũtate de
vocandis ex Italia Professoribus, ira ea de re Nuncio
Apost: Episcopo Mõris Regalis in hæc verba scripsit:
Si qui doctrina excellentes Viri fuerint ex
his terris aduocati, non possum, non vehe-
menter probare, sed si seorsum aliam ab ea
quæ prius fuit instituta, Academiam institu-
ere cupiunt, id quale sit non intelligo, duas
vt Academias vna ciuitas habeat. Quod suum
iudicium etiam ipsi Serenis: Regi exposuit: Mihi
quidem, inquit, hæc nouitas probari nõ po-
test, cum videam, quantũ Academicæ Crac:
cuius alumnum esse me profiteor, præiudi-

15
cui fit allatura. Iudicauit sapientissimus Vir, quod
alii nolunt videre, vni Ciuitati, duas Academias oneri
esse, & vnam alteri calamitatem allaturam. Cum quo
gravi iudicio, vt vestrum quoq; iudicium, quod spe-
ramus fore æquissimum, coniungatis Proceres, val-
dè omnes rogamus. Præstate hanc pietatem glorio-
sissimo fundatori Academiæ D. Iagelloni, & posteris
eius consequentibus Regibus, quorum gratia maio-
res vestri floruerunt, & beneficiis ipsorum non pau-
ci ad eum splendorem peruenierunt, quem hactenus
retinetis; vt nostram hanc propugnationem pro cõ-
seruando iure Academico, quo continetur memoria
nominis clarissimi Iagellonici, gratia, precibus, cõ-
mendatione apud Sereniss. Regem DD. N. Clemen-
tiss. Non est aliena voluntate Sereniss. Rex D. N.
clementis: à memoria Maiorum suorum ad immor-
talitatem traducenda; verùm ne ei persuadeatur lau-
dem Maiorum suorum, iactis nouæ Scholæ fundamē-
tis, minimè obscuratum iri, id verò est, quod à vobis
perficiendum cupimus. Moueat vos fortunæ nostræ
conuersio; nuper floruimus sine inuidia, in aula DD.
Iagellonum Regum; Ordinum omnium Regni fauo-
rem sine assentatione merebamur; vna nostra Schola
sine vlla controuersia totum Regnum capiebat; nunc
de vna ciuitate mirificè laboramus, ne in ea nouo fõ-

re aperto, & eò corruatis aquis, vetus exsicceatur.
Quod si impetrare non possumus, vt ius saluum & in-
columitatem retineamus, proximum est, quod Vos
Proceres oramus, ne confictis criminibus obruamur
neue honestate dispoliemur; vt si post exantlatos du-
ros labores, nobis excedendum sit ex Academia, in
qua nemo ingenuus sine dignitate viuere expetat,
abcentes bona existimatio prosequatur.



Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIEGO

16

